SYNODVS DIOECESANA

Celebrata de mandato Eminentiss. & Reuerendiss. Domini

D. GASPARIS S. R. E.

CARD. BORGIAE.

EPISCOPI ALBANENSIS.

A IO. CAROLO ANTONELLO VELITERNO
Sac. Theol. Philos. & V. I. Doct. ac Proth. Apost.
eiusdemq. Eminentissimi, & Reuerendiss.
Dñi Cardinalis Episcopi Vic. Gener.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VELITRIS, Apud Alphonsum de Isola, M. DC. XLII.

Superiorum Permissu.

Imprimatur. *Si videbitur Dom. Canonico Deput.*
Ant. de Federicis Viç. Gener.

Imprimatur.
Io. Baptista Catellina Canonicus Deputatus
pro Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.


GA-


GASPAR

Miseratione Diuina Episcopus Albanen.

S. R. E.

CARD. BORGIA.





VOS cælestis sapientia Pastores esse voluit, eorum tanta, tamq. grauis sollicitudo esse debet, vt in ijs, quæ ad Dei cultum, atque morum emendationem, & Christianæ pietatis restitutionem pertinent, non voluntas, non diligentia, non denique pietas illorum vllo loco desiderentur. Quare Nos eo Pastoralis officij spiritu excitati pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, ac controuersijs componendis, ad Tridentinæ sanctioris præscriptum, Synodum nostram Diœcesanam indicere decreuimus, quam hoc Anno die 18. Aprilis in Cathedrali Ecclesia celebraturi sumus. Omnibus igitur, ac singulis, qui in Ciuitate, & Diœcesi nostra beneficia quæcumque Ecclesiastica, etiam sine cura obtinent, quique sacris Ordinibus insigniti sunt, atque alijs omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui de iure, aut consuetudine interesse debent, futuram nostræ Synodi celebrationem per præsentes significamus, ac denunciamus, eisdemque præcipimus, sub pęnis à Iure statutis, atque alijs arbitrio nostro,

vt Clericali habitu, ac superpelliceis induti dicta die summo manè in Ecclesia Cathedrali conueniant, atque intersint, indeq. ante dimissam Synodum nō discedant. Volentes prætereà, quod hoc præsens Edictum in locis solitis affixum liget, & arctet omnes, ac si cuilibet fuisset personaliter intimatum. In quorum fidem, &c. Datum Albani ex Ædibus nostræ Residentiæ hac die 18. Martij 1641.

Io. Carolus Antonellus Vic. Generalis.

G. Vitalis Canonicus, & Cancellarius.

HÆC SYNODVS

Ob abſentiam Eminentiſsimi, & Reuerendiſs. Domini CARDINALIS BORGIÆ, Epiſcopi Albaneń celebrata fuit de ſpeciali mandato à Perilluſtri, & Reuerendiſs. D. Io. Carolo Antonello, Nob. Veliterno, V. I. nec non Philoſophiæ, & Sac. Theologiæ Doctore, eiuſdem Eminentiſs. D. Cardinalis Epiſcopi Vicario Generali, die 18. Aprilis 1641.

GASPAR Miseratione Diuina Episcop. Albaneñ.

S. R. E.

CARD. BORGIA.

VNIVERSO CLERO CIVITATIS, ET Diœcesis Albaneñ.

SALVTEM IN DOMINO.

PIE, ac sapienter sancta Tridentina Synodus (Duce Spiritu sancto) Ecclesiæ vtilitati consuluit, cum in qualibet Diœcesi Synodum ab Episcopis sæpe celebrari præscripsit; hac enim ratione facillimè moderantur mores, corriguntur excessus, controuersiæ componuntur, ac sacrorum Canonum Decreta in vsum reuocantur. Vt igitur Christiana pietas, atque Ecclesiæ auctoritas, ac dignitas, Populique Nobis commissi disciplina perpetuò conseruetur, hanc nostram Diœcesanam Synodum, Diuina adiuuante gratia, indiximus, in qua ea omnia, quæ ad morum emendationem, & ad Christianæ pietatis restitutionem, atque amplificationem duximus pertinere, ab omnibus seruanda proponimus. Illud autem optamus, vt has, quas edimus Constitutiones, eo, quo debetis diligentiæ, & obedientiæ studio, exequamini, vt vestro etiam exemplo cæteri ad imitationem virtutis incitentur. Valete.

DECRETA
EDITA IN SYNODO DIOECESANA ALBANEÑ.

NOS GASPAR Miserat. Diuina Episc. Albaneñ.

S. R. E.

CARD. BORGIA.

AD DEI OMNIPOTENTIS, Beatæq. Mariæ semper Virginis, ac Sancti Martyris PANCRATII Patroni nostri laudem, hæc pro Christianæ morum disciplinæ reformatione decernimus, statuimus, ac sancimus.

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.
PARS PRIMA.

De Sacramento Baptismi. *Cap. I.*



SACRAMENTO Baptismi initium sumimus, ex quo reliqua Sacramenta, ac nostra Fides, aliæq. omnes virtutes, tamquam à fonte deriuantur.

Hoc igitur Sacramentum in Ecclesia perpetuò ministretur, non autem ante Solis ortum, nec post eius occasum, sine nostra, aut Vicarij Generalis licentia, nec vnquam differatur, vltra octo dies, aliàs parentes sententiam excommunicationis incurrant.

Baptizandis nomina tantum Sanctorum imponan-

tur, vt quorum ſequuntur nomina, eorum etiam actiones imitentur.

Nemo domi baptizetur, niſi vitę periculũ immineat.

Parochi autem diligenter doceant Obſtetrices ea omnia, quæ ad huiuſmodi Sacramentum pertinent, atque horum ignaras, ſeu indociles, quæque facultatem huiuſmodi officium exercendi à Vicario General. in ſcriptis non impetrauerint, ab eodem officio repellant.

Parentes etiam, ac Nutrices admoneant, vt infantes ab eorum lecto, ſaltem per annum ſeparent, eoſq. in cunis retineant, vt omne ſuffocationis periculũ euitetur.

Vnus tantum ſiue Vir, ſiue Mulier, vel ad ſummum vnus, & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, qui etiã moneantur à Parocho de cognatione, quam contrahunt, ac de obligatione docendi baptizatum præcipua Chriſtianæ fidei miſteria.

Parochus librum habeat, diligenterq. cuſtodiat, in quo Baptizati, Parentum, & Compatrum nomen, cognomen, diemq. natiuitatis, ac baptiſmi, & an ex legitimis nuptijs procreatus ſit, deſcribat.

Excommunicati, aut publici peccatores, quiq. eo anno Communionis præcepto non ſatisfecerint, ad ſuſcipiendum de ſacro Fonte baptizatum nunquam admittantur.

De Sacramento Confirmationis. Cap. II.

PArochi, animarumq. Curatores ante denuncient tempus, quo ſacrum Chriſma miniſtrandum erit,

ac

ac populum doceant, quanto Religionis ſtudio ſuſcipiendum ſit hoc Sacramentum.

Videant item, ne adulti tantum Sacramentum, niſi præuia peccatorum confeſſione, ſuſcipiant, atque nè minori ſeptennio præbeatur.

Curent inſuper, vt nemo hoc Sacramentum reiteret, neque habita prꝫſertim opportunitate illud ſuſcipere prꝫtermittat, atque etiã Patrinum de cognatione ſpirituali admoneant, nè ignorantia vlla excuſari valeat.

Patrinus autem vnus tantum eſſe debeat, ſiue Vir, ſiue Mulier, nec admittatur publicus peccator, aut excõmunicatus, quique in Paſchate prꝫceptum Cõmunionis non adimpleuerit, vt ſupra de Baptiſmo dictum eſt.

Habeant item librum, in quo confirmatos, & Compatres deſcribant, ſeruatis cæteris omnibus, quæ in præcedenti titulo præſcripſimus.

De Sacramento Pꝫnitentiæ. Cap. III.

OMnibus Confeſſarijs, tam Sæcularibus, quàm Regularibus quibuſcumque præcipimus, vt ſacramentales Confeſsiones, tam virorũ, quàm mulierum in Eccleſia, ac in ſedibus Confeſſionalibus, ad id deputatis, & non alibi audire præſumant abſque licentia Vic. Gen.

Excipimus tamen Eccleſiaſticos Principes, locorumq. Dominos in temporalibus, omneſq. infirmos, qui propter infirmitatem ad Eccleſiam accedere nequeunt.

Eos etiam, qui, aut ſurdi ſunt, aut craſſioris auditus, quiue his ſimilibus detinentur impedimentis, Sacerdotes

tes item, & Clericos Ecclesiæ inseruientes, quibus vt in Sacristia, aut alio Ecclesiæ decenti, & patenti loco Sacramentum huiusmodi ministrari possit, indulgemus.

Mulierum ægrotantium Confessiones, cuiuscumque illæ fuerint ætatis, non audiant ostio cubiculi, vbi decumbunt, penitus clauso,

Item non audiant mulieres ante Solis ortum, vel post eius occasum, confitentes in Ecclesia, nisi ex aliqua necessaria causa, nèue vllo modo extra sedē confessionalem.

Dum audiunt Confessiones infirmorum in priuatis domibus, Parochum eodem die certiorem faciant, aut saltem domi fidem auditæ Confessionis dimittant.

Socius criminis in eodem crimine sibi socium ne absoluat.

Nemo siue Parochus, siue quiuis alius Confessarius, etiam Regularis in ipso Sacramenti Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ ministerio, ne à spontè quidem dantibus quidquam accipiat.

Qui verò hæc nostra Decreta, siue Prohibitiones scienter contempserint, ab audiendis in posterum Confessionibus, eo ipso sint suspensi.

Sciant etiam Confessarij Sæculares cum stola violacei coloris, ac superpelliceo, Regulares verò cum stola in Ecclesia hoc Sacramentum ministrare debere.

Videant item, ne quem absoluant, qui vel odium, aut inimicitiam deponere nolit, seu recuset pro facultate restituere alienum, vel à statu peccati mortalis discedere, aut occasionem peccati vitare paratus non sit.

Et quia custoditum semper in Ecclesia Dei fuit, ac ipsa etiam Tridentina Synodus approbauit, vt atrociora quædam, & grauiora delicta, non à quibusuis, sed à solo Episcopo in sua Diœcesi absoluerentur, idcirco Nos tam laudabile sequentes institutum, horum, quæ infra explicantur, criminum absolutionem Nobis, & Sedi Episcop. ac Vicario Gener. tantummodo reseruamus, omni alia Prædecessorum nostrorum reseruatione sublata.

Casus Episcopo Albanensi reseruati.

1 Blasphemi ex consuetudine, vel hæreticales.
2 Abutentes Sacramentis, rebusq; sacris ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis.
3 Homicidium voluntarium committentes.
4 Abortum procurantes, etiam fœtus inanimati.
6 Incestuosi in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, & in cognatione spirituali.
6 Sodomitæ, & cum brutis coeuntes.
7 Habens copulam carnalem cum sponsa ante matrimonium in Ecclesia celebratum.
8 Falsum in Iudicio deponẽtes in alterius prȩiudicium.
9 Notarij nõ reuelãtes Nobis Legata pia post mensem.

Confessarij itaque tam Sæculares, quàm Regulares casuum in Bulla Cȩnæ Dñi, atque horum, quos supra Nobis reseruauimus, tabellam in sedibus Confessionalibus affixam semper retineant. Parochus autem initio Aduentus, & Quadragesimæ cuiuslibet anni Casus prædictos in Bulla Cȩnæ, ac etiam à Nobis, vt supra reseruatos

tos

tos inter Missarum solemnia Populo denunciet, atque distinctè declaret.

De Sacramento Eucharistiæ. *Cap. IV.*

INter cætera Sacramenta nullum est, quod cum Sanctissimo Eucharistiæ Mysterio, quod ipsum sanctitatis continet Auctorem, possit comparari; nihil enim habet Ecclesia hoc Sacramento dignius, nihil admirabilius, nihil sanctius. Vndè, & nulla grauior alicuius sceleris animaduersio à Deo metuenda est, quàm si tantum Sacramentum quis indignè susceperit, cum eo casu Corporis, & Sanguinis Domini sit reus. Vt igitur fidelis Populus iustissimam Dei iram effugiat, Parochi diligenter exponant, qua deuotione, & præparatione accedere quisque debeat ad tantum Sacramentum, quam admirabiles item illius fructus sint, quanta vis, ac dignitas, quantaq. illi supplicia sint parata, qui indignè suscipiunt.

Publicè criminosi, manifesteq. infames, vt Meretrices, publici Concubinarij, Fœneratores, & alij id generis publici facinorosi homines semel ad Pœnitentiam, & Communionem admissi, si postea in eisdem peccatorum sordibus hærere cognitum fuerit, amplius ad sacram Communionem non recipiantur, nisi Parochus, qui eorum curam gerit, eos vitam, & mores emendasse reipsa perspexerit.

Reus capite damnatus, quo die pro Viatico Sanctissimum Domini Corpus sumpserit, à Iudicibus ne eo die ob reuerentiam supplicio afficiatur.

Cu-

Curet insuper Parochus, vt Pueri, qui ad annos discretionis peruenerint, quique sciãt discernere inter bonum, & malum, ac dijudicare Corpus Domini, sacram Communionem sumant, quod, vt rectius fiat, à Parentibus primum de eorum pietate, & ingenij præstantia, vsuq. rationis perquirat, eosq. ante aliquot dies examinet, & de vi, ac ratione huius Sacramenti diligenter instruat.

In Ecclesijs etiam Regularium, & Confraternitatum Laicorum hoc Sacramentum non exponatur sine causa, à Nobis, seu Vicario Generali approbanda. Qua in re omni studio curent Ecclesiarum Rectores, aut Ministri, vt Altaris, seu Cappellæ, vbi exponetur, ornatus decens sit, & religiosus; cerei ad minimum sex assiduè colluceant, atque ad Altare Clerici duo, aut saltem vnus, cum superpelliceo semper assistant.

Consecratæ particulæ Hyberno tempore singulis saltem quindecim diebus, Æstiuo autem quolibet octauo die perpetuò renouentur.

De Sacramento Extremæ Vnctionis. *Cap. V.*

CLementissimus Redemptor noster, quemadmodum fidelibus suis, dum in hoc sæculo viuunt, Diuina in alijs Sacramentis adiumenta parauit, ita eos, dum supremus vitæ dies instat, hoc Extremæ Vnctionis Sacramento tanquam firmissimo quodam præsidio communiuit. Omnem igitur diligentiam Parochus in eo adhibebit, ne absque tam salutari Sacramento ægrotum ex hac vita decedere sinat; cum enim ex hoc procedat

remis-

remiſſio peccatorum, collatio gratiæ, confortatio animæ contra tentationes Dæmonis, in illa hora maximè inſidiantis, facilior morbi, & mortis tolerantia, ac denique ſanitas corporalis (ſi id ſaluti animæ expediat) ſumma vti debeat diligentia, ne ægrotantes tantis bonis in extrema hora priuentur.

Sciat Parochus hoc Sacramentum miniſtrandum eſſe adultis periculoſè ægrotantibus, propèq. moribundis, ſænio item confectis in diem morituris, etiam ſi ægroti non ſint, periculosè etiam vulneratis ad mortem.

Infirmis itidem non denegandum, qui ſana mente dum erant, illud petierunt, aut veriſimile eſt, quod petijſſent, etiam ſi poſtea in amentiam, vel phreneſim inciderint.

Nunquam verò miniſtretur pueris rationis vſu carentibus, aut perpetuò amentibus, nec excommunicatis, interdictis, aut impenitentibus, neque mulieribus in partu ægrotantibus, nec ijs, qui mox vltimo ſupplicio afficiendi ſunt, quiue licet perpetuò amentes non fuerint, tamen ante amentiam, vel phreneſim eſſent manifeſtè impœnitentes.

Neque illis miniſtretur, quos veriſimile ſit indecorè, aut impurè aliquid agere, quo irreuerentia huic Sacramento fiat, niſi Alicuius complexu ita teneatur, vt firmus, ſtabiliſque hæreat.

Vno eodemque morbo non reiteretur, niſi infirmus ſemel vnctus conualeſcat, & iterum in morbum incidat.

Curet etiam Parochus, vt ægroto, dum integris eſt ſen-

ſenſibus, huius Sacramenti medicina præbeatur.

De Sacramento Ordinis. Cap. VI.

NEmo prima Tonſura initietur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperit, quique ſcribere, aut legere neſciat, & Fidei rudimenta edoctus nõ fuerit.

Qui ad minores Ordines promouendi ſunt, bonum etiam à Parocho, & Magiſtro ſcholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant, ac ſaltem latinam linguam intelligant.

Illegitimi nec prima Tonſura initientur, nec ad minores Ordines admittantur, niſi forſan diſpenſationem noſtram impetrauerint.

Qui autem, vel prima Tonſura, vel minoribus Ordinibus inſigniti fuerint, in habitu, & tonſura Clericali incedant, atque Eccleſiæ, cuius ſeruitio, vel miniſterio à Nobis, vel Vic. Generali deputati fuerint, inſeruiant, & in ſuſceptis Ordinib. in eadem Eccleſ. ſeſe exerceant.

Ad primam Tonſuram, & tres minores Ordines non admittantur, qui ſeptennio maiores non ſint, neque ad Acolytathum, qui duodecimum annũ nõ compleuerint.

Qui verò ad ſacros Ordines promoueri deſiderant, bonum etiam teſtimoniũ, ac ætatem à Sac. Conc. Trid. ſingulis Ordinibus præſcriptam habeãt, ac in literarum ſcientia, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi ſint.

Antequam autem ad ſingulos ſacros Ordines admittantur, fidem denunciationum, quæ iuxta formam ab

eodem Sac. Conc. traditam in Ecclesia faciendæ sunt; atque attestationem Parochi de vita, & moribus, natalibus, ac ætate exhibere teneantur.

Ad eosdem sacros Ordines nemo ordinetur, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod etiam debeat esse valoris Scutorum quadraginta deductis impensis, pacificè possidere.

Ad Titulum Patrimonij nullus ad dictos sacros Ordines promoueatur, nisi quem Nos dumtaxat pro necessitate, vel commoditate nostrarum Ecclesiarum duxerimus assumendum. Ex bonis autem eo casu in Patrimonium assignandis, saltem annua Scuta quadraginta, deudctis oneribus, atque impensis, percipiantur, quod ex fide dignorum testium, seu peritorum depositionibus, ac documentis publicis constare debeat in actis nostræ Cancellariæ, eaque bona sine nostra licentia nunquam alienentur.

Subdiaconi, vel Diaconi ad altiorem gradum non ascendant, nisi Archipresbiteri, seu Parochi fidem exhibeant, ex qua constet, eos suscepti Ordinis functionem obiuisse.

Omnes autem siue ad Titulum sui beneficij, siue Patrimonij ad sacros Ordines promoti Ecclesijs, quibus adscripti fuerint, inseruiant, ibiq. suis fungantur muneribus, quod si ad ordines quidē admissi iam sint, sed alicuius Ecclesiæ ministerio deputati non fuerint, teneantur nihilominus festis diebus, præsertim solemnibus in

Paro.

Parochiali Ecclesia conuenire, ibique Parochum in Diuinis adiuuare.

Literas dimissorias ad Ordines quoscumq; Vic. Gen. non concedat, nisi ijs, quos ipse examinauerit, & approbauerit, iuxtà formam Sac. Conc. Trid.

De Sacramento Matrimonij Cap. VII.

PArochus matrimonium in Ecclesia non denunciet, nisi prius habito tam viri, quam mulieris consensu.

Ter, ac tribus diebus festiuis continuis in Ecclesia denunciet, inter Quos sit Matrimonium contrahendum, iuxtà formam Sac. Conc. Tridentini, nisi huiusmodi denunciationes à Nobis remissæ fuerint.

Interim, qui impedimenta sciunt, ea, sub pęna excommunicationis, Parocho reuelare teneantur.

Si aliquod fortasse impedimentũ detectũ fuerit, ẽt per vnicũ testẽ, à celebratione matrimonij sese abstineat, donec à Nobis huiusmodi impedimẽti causa cognita fuerit.

Curet insuper Parochus, vt Coniuges, antequam contrahant, sua peccata confiteantur, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant.

Matrimonium ipso vltimæ denunciationis die nunquam celebret. Si post tertiam publicationem bimestre elapsum sit, nõ liceat Parocho ad celebrationem Matrimonij deuenire, nisi vel denunciationes prædictæ in Ecclesia repetantur, vel nostra licentia impetretur.

Hæ denunciationes in Parochijs vtriusque Coniugis fiant, si Eos in diuersis Parochijs, seu Oppidis nostræ

Diœcesis morari contigerit, quo casu hoc Sacramentum Parochus Mulieris ministret, habita tamen fide huiusmodi denunciationum à Parocho Viri.

Coniuges, siue Sponsi ante Matrimonij in Ecclesia celebrationem se à cohabitatione, & mutua consuetudine abstineant, nec se inuicem alloquantur absque parentum, siue propinquorum præsentia.

Aduenæ verò, ac incertis Vagantes sedibus, quiue ex nostra Diœcesi non sunt, ad Matrimonium non admittantur, nisi nostram, vel Vicarij Generalis licentiam in scriptis impetrauerint.

Factis tribus denunciationibus, si nullum adsit impedimentum, Parochus per seipsum, siue per aliũ à Nobis ad Sacramenta ministranda approbatum, in Ecclesia Parochiali matutino tempore Coniuges coram duobus, vel tribus testibus in Matrimonium coniungat iuxtà formam à Sac. Conc. traditam.

Nec ante Solis ortum, neque post eius occasum Sacramentum hoc administret, nunquam autem extra Ecclesiam, siue in priuatis domibus, sine licentia in scriptis à Nobis dumtaxat obtinenda.

Curet præterea, vt Coniuges benedictionem Sacerdotalem, statim celebrato Matrimonio, suscipiant.

Diligenter apud se custodiat librum, in quo Coniugum, & testium nomina, diemq. & locum contracti Matrimonij describat.

CON.

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.
PARS SECVNDA.

De Professione Fidei. Cap. I.

PRima, & maxima Pastorum cura versari debet in ijs, quæ ad Fidem Orthodoxam conseruandã pertinent, sine qua impossibile est placere Deo. Nos igitur Sacris Conc. Trid. Decret. ac Constitutionib. Summorũ Pontif. inhærendo sancimus, vt prouisi de beneficijs animarum curã habentibus, saltem intra duos menses à die adeptæ possessionis in manibus nostris, seu Vic. Gener. publicam Fidei professionem per seipsos emittant, iuxtà formulam à fel. record. Pio Quarto editam, alioquin nõ faciant fructus suos, neque eis possessio suffragetur. Prouisi autem de Dignitatibus, & Canonicatibus in Ecclesia Cathedrali idem coram Nobis, & coram Capitulo facere teneantur.

Sed & Verbi Dei Prædicatores, quiq. Sac. Theol. Ius Canonicum, aut Ciuile, Philosophiã, Medicinã, Grammaticam, vel alias liberales Artes publicè, aut priuatè docebunt, alijq. omnes, qui ad id de Iure, vel consuetudine adstringuntur, antequam ad eorum exercenda munia admittantur, eamdem Fidei professionem emittant.

De Verbi Dei Prædicatione. Cap, II.

ANtequam Regulares cuiuscumque Ordinis prædicare incipiant, etiam in Ecclesijs suorũ Ordinum licentiam à suis Superioribus obtentam exhibeant, & à Nobis, seu Vicario Generali personaliter benedictionem

petere, ac Fidei professionem facere debeant.

In Ecclesijs verò, quæ suorũ Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Sup. nostrã et impetrare debeant, sine qua in Ecclesijs nostris nullo modo prædicare possint.

Ab omni autem turpis lucri suspicione in eleemosynis quæstuandis alieni sint, atque in omnibus sicut Dei Ministros sese exhibeant. In Concionibus, quas ad Populum habebunt, cum Euangelijs, quibus Clerus Sæcularis illis diebus vtitur, se conforment.

Nec ante Solis ortum, nec post eius occasum prædicent absque nostra, seu Vicarij Gener. licentia, etiamsi Concio Sanctiss. Passionis Christi Domini habeatur, neque in prædicando aliquid repræsentent, quod à Christiana disciplina abhorreat.

Indulgentias quascumque, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, nisi sint à Nobis approbatæ, seu recognitæ, non publicent.

Expleto Quadragesimali, coram Nobis iterum se præsentent, vt de subditorum moribus, & vita certiores Nos faciant.

Si quis nostris huiusmodi mandatis non obtemperauerit, ad prædicandum in nostra Diœcesi amplius non admittatur.

De Reliquijs Sanctorum. Cap. III.

NE in re tanti momenti error aliquis admittatur, decernimus, ac sancimus, vt nouæ Sanctorum Reliquiæ non recipiantur, neque in Eccclesijs etiam

Re-

Regularium pro certis à Populo venerandæ proponantur, nisi à Nobis recognitæ fuerint, & approbatæ.

Præterea Rectoribus quarumcumque Ecclesiarum, alijsque omnibus prohibemus, ne vlli personæ, cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ existat, aliquã partem Reliquiarũ in Ecclesijs nostris existentium sine nostra licentia concedere, vel pro seipsis subtrahere, aut retinere, nec ab vna Ecclesia ad aliam trãsferre præsumant.

Atque ne de Reliquiarum approbatione dubitari contingat, mandamus, vt statim, ac recognitæ fuerint, duo huiusmodi approbationis, seu recognitionis publica Instrumenta fiant, quorum alterum in nostra Cancellaria, alterum in Ecclesia, seu Reliquiario, vbi reconditæ sunt, vnà cum Sanctorum nominibus perpetuò custodiri debeat. Duo claues in fenestrella, in qua reconduntur, fiant diuerso opere elaboratæ, quarum altera retineatur per nostrum Vicarium Generalem, & altera per primam Dignitatẽ Ecclesiæ Cathedralis, & in Diœcesi per Vicarium Foraneum, & Parochum loci.

In Ecclesijs, vbi insignes adsunt Rellquiæ, videlicet Corpus, Caput, Brachium, Crus, & ea pars, non parua tamen, in qua Sanctus passus fuit Martyrium, ante eas perpetuò lampas ardeat, saltem diebus solemnibus, ac die festo ipsius Ecclesiæ, vel Titularis, & eiusdem Sancti.

De sacris Imaginibus. Cap. IV.

CVM nihil in domo Dei inordinatum, aut inhonestum, nihilq. indecorum apparere debeat; statuimus,

mus, vt nullæ Sanctorum Imagines, aut Statuæ in Ecclesijs, seu Altaribus ponantur, nisi à Nobis, seu Vicario Generali approbatæ fuerint:

Antequam autem in Altaribus collocentur, solemni prius Ecclesiæ ritu benedicantur.

Absint ab Ecclesijs Imagines procaci venustate pictę, aut ornatæ.

Nemo Imagines Sanctorum pro insignibus Tabernarum habere, seu retinere præsumat.

Ecclesiæ neque intra, neque extra profanis Imaginibus exornentur.

De Festorum dierum cultu. *Cap. V.*

Diligenter cauendum est, ne vllus ad Diuinam offensionem, & animæ suæ perniciem diebus festis in Dei, & Sanctorum honorem institutis abutatur. Parochus igitur quolibet die Dominico festiuitates, & ieiunia, quæ de præcepto seruanda sunt, populo annuntiet, ac Violatores huius diuini Præcepti, peccati grauitate deterreat. Qui verò dies festos violare quomodolibet ausus fuerit, vltra læthalis culpæ reatum, pęna Scut. 2. pro quolibet, & qualibet vice, ac alijs arbitrio nostro punietur, à quibus nullus excusabitur sub prætextu alicuius necessariæ, aut rationabilis causæ, nisi ea sit à Vicario Generali approbata, & in singulis Diœcesis Oppidis à Parocho cuiusque loci.

Vbi autem Vicarius Generalis præsens fuerit siue in Ciuitate, siue in Diœcesi, nullus Archipresbiter, seu Parochus

rochus prædictas licentias concedere præsumat, sed eæ à Vicario Generali tantummodo concedantur.

Nulla in diebus festis, siue per Ministros Curiæ Ecclesiasticæ, siue sæcularis, fiat executio realis, siue personalis pro ciuili causa.

Mercatus non fiant, cunctarum artium officia, ac seruilia quæcumque opera, profanæq. negotiationes, & Iudiciorum strepitus conquiescant.

Choreas item, & vanas repræsentationes, atque alia ludicra, seu theatralia spectacula in festis, ac etiam Quadragesimalibus, & Aduentus diebus interdicimus.

Ludum Alearum, & Taxillorum, præsertim publicum, sub pœna Scut. 25. & alijs grauioribus prohibemus, quas pœnas, ad Permittentes huiusmodi ludos prædictis diebus in eorum domibus, extendimus

De die Festo S. Pancratij Martyris. Cap. VI.

FEstum diem S. Martyris PANCRATII, huius Albanensis Ecclesiæ Patroni, ita semper honorabilem decernimus, ac venerandum, vt à Clero, Populoq. vniuerso Ciuitatis, & Diœcesis nostræ, ac etiam à Regularibus, sicut alia Festa de præcepto, celebretur.

Pręterea singulos Ecclesiasticos, qui Diuinũ Officium recitare debent, ad eius Oct. celebrandã adstringimus.

Omnes etiam in Dño hortamur, vt pridiè eius diei in honorem tanti Martyris ieiunium seruent. Qua de re Parochi Populum moneant, atque ad illud seruandum pijs cohortationibus impellant.

De Sacrosanctis Ecclesijs, & Altaribus. Cap. VII.

NOuas Ecclesias, seu Oratoria, ac Monasteria ædificare, vel in Ecclesijs iam constructis, noua erigere Altaria nemo præsumat, nisi licentiam nostram impetrauerit, ac de sufficienti dote per publicum Instrumentum docuerit; hæc autem licentia à Nobis dumtaxat impetretur.

Nulla in eis alicuius Familiæ insignia, seu inscriptiones, Nobis inconsultis, ponantur.

E domibus Ecclesiæ contiguis nulli liceat habere fenestram, interiori Ecclesiæ respondentem.

Procul ab Ecclesijs sint impudicarũ Mulierũ domus.

Nemo propè Ecclesias ludis cuiusque generis vacare, neque choreas ducere audeat, præsertim cum Diuina Officia celebrantur.

Sordes, atque immunditiæ in locis Ecclesiæ contiguis non proijciantur, nec quidquam aliud admittatur, quod Domus Dei Sanctitati, ac Maiestati repugnet.

Arma quæcumque, præter Enses, intra Ecclesiam non deferantur.

De Ecclesiarum Veneratione, & Immunitate. Cap. VIII.

OMni studio cauendum èst, vt Domus Dei, verè Domus Orationis dicatur, eiusque cultus sit cum debita veneratione pacificus. Nullus itaque in Ecclesia, seu Sacristia, Domibusq. Ecclesiasticorum Ecclesiæ contiguis iniurias aduersus alterũ dicat, seditionem,

ſeu rixas excitet, conclamationem moueat, impetumue committat; nullus item alterum armis, ſeu aliter quomodocumque audeat offendere. Nulla inibi cauſa per ſæculares Iudices, criminalis maximè, agitetur omnis in eis ſæcularium Iudiciorum ſtrepitus conquieſcat.

Ceſſent in locis eiſdem ſæculares actiones, negotiationes, deambulationes, confabulationeſque, ac publica parlamenta, ceſſent vana, & multò fortius fęda, & profana colloquia.

Atque vt facinoroſi homines à patrandis delictis deterreantur, quæ nonnunquam ab ipſis committi ſolent, quia in Eccleſijs, vbi tuti permanere poſſunt facilè recipiuntur; propterea Clericis omnibus, atque alijs noſtrarum Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Cuſtodibus inhibemus, ſub pęnis arbitrio noſtro infligeñ, ne Aliquem ſine noſtra licentia, ſeu Vicarij Generalis vltra triduum recipiant, aut retineant.

De Sepulturis. Cap. VIIII.

DEfuncti poſtquam expirauerint, per ſpatium ſaltem duodecim horarum inſepulti cuſtodiantur, nec pro ijs humandis pauimentum Eccleſiæ excauetur, aut deformetur abſque licentia Vicarij Generalis.

Defunctorum cadauera non deferantur ante Solis ortum, nec poſt eius occaſum ſine noſtra licentia.

Sepultura mortuorum, ſub quouis prætextu compoſitionis quartæ funeralis, nunquam retardetur.

Nulla in operculis Spulcrorum fiat inſcriptio, quæ à No-

à Nobis prius approbata non fuerit.

In Sepulcris, quæ sub Altaribus reperiuntur, nemo ſepeliatur.

In qualibet Parochiali Eccleſia adſit peculiare Sepulcrum pro Infantibus baptizatis, & obeuntibus ante vſum rationis.

Pro ſepultura nihil paciſcatur, ſed conſuetæ tantum eleemoſynæ recipiantur.

Miſerabiles perſonas Parochus ſepeliat gratis.

Funus mortui Parochi alter Parochus loci eiuſdem, vel vicinior gratis celebrare, ac pro eius anima Miſſam dicere teneatur.

Nulla ſit electio ſepulturæ facta per infirmum, qui ex illa infirmitate non deceſſit; ſi verò electio huiuſmodi facta fuerit in teſtamento, firma ſemper maneat, dummodo non fuerit reuocata.

Filius minor, ſeu impubes, vel in ſepulcro Maiorum ſuorum, vel in propria Parochia, prout hæredibus Defuncti, aut Patri, vel Matri videbitur, tumuletur, quod etiam ad omnes, & quaſcumque perſonas decedentes, non electa Sepultura, extendimus. Vbi autem adeſt particularis conſuetudo, quod Pater eligere poſſit Sepulturam pro Filio impubere, tunc in ea, quam Pater elegerit, Eccleſia ſepeliatur.

CON-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.

PARS TERTIA.

De vita, & honestate Clericorum. *Cap. I.*

NIHIL est, quod magis ad Dei cultum, & pietatem alios impellat, quam eorum vita, & exemplum, qui se Diuino seruitio, relictis sæcularibus curis, subiecerunt; cum enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam speculũ reliqui oculos conijciunt, vt ex ijs sumant, quod imitentur, atque ideo in omnibus sese ipsos bonorũ operum exemplum præbere debent, vt quemadmodum cæteris sublimiori gradu præcellunt, ita morum etiam honestate, ac sanctitate præluceant.

De Clericorum Habitu, & Tonsura. *Cap. II.*

DEcentibus vestibus, ac ordini Clericali accommodatis tam intrinsecus, quam extrinsecus Clerici induantur, nec vnquam vtantur vestimentis coloris rubei, flaui, aut viridis, seu alterius eiusdem coloris, sed honestis coloribus sint contenti, velut nigro, aut violaceo, cæterisq. non prohibitis, vt ét ab eorum decenti vestitu discãt Laici, eos omni veneratione dignos esse, & obsequio.

In Diuinis officijs, Processionibus, Funeribus, alijsq. publicis actibus, in Missæ etiam celebratione, & Sacramentorum administratione vestem ad talos vsque demissam perpetuò deferant.

Ton-

Tonſuram Clericalem, quæ eſt militiæ ſpiritualis inſigne, abraſo capillo cóſpicuam ſemper gerant, eo modo latá, prout Ordinis, quo ſunt inſigniti, ratio poſtulabit.

Capillis item ſimplicem adhibeant cultum, ac æqualiter ex omni parte præcidant, nec ſint in aliqua capitis parte reliquis longiores.

De Conuiuijs per Clericos vitandis. *Cap. III.*

ET quia diligentiſſimè cauere debent, ne à certa viuendi via, & ab officij ſui ratione deflectant; ideò ad conuiuia præſertim publica nunquam accedant, neque in illis operas ſuas cantu, vel muſicis inſtrumentis nauent, aliaſque minus honeſtas comeſſationes omni ſtudio vitent, ex quibus plerumq. fit, vt Eccleſiatici miniſterij dignitas contemnatur. Cauponarum verò aditus omninò prohibemus, niſi neceſſitatis cauſa in itinere aliud expoſtulet.

De Ludis, Venationibus, atque Armis prohibitis. *Cap. IV.*

QVemadmodum Clerici Eccleſiaſticæ Militiæ ſunt adſcripti, ita ad eiuſdem labores, ſolicitudinesq. vocantur, ac proindè ad voluptates ſæculi ſeſe conuertere non debent. Propterea præcipimus, vt ab illicitis ludis, præſertim Alearum, & Taxillorum, tam publicè, quam priuatim abſtineant, nec in Ædibus ſuis ludere ſinant, neque cum ludentibus vllo modo interſint.

Publicè verò ab omnibus ludis, etiam ab ijs, qui liciti, & honeſti appellantur, abſtineant.

Nul-

Nullum etiam armorum genus gestare præsumant.

Clamosas venationes etiam interdicimus:

Choreas tam publicas, quã priuatas, ac Fabulas, seu Comedias, Luctationes, aliaq. profana, & inania spectacula ita fugienda esse decernimus, vt neque spectatores sint.

De Conuersatione Mulierum per Clericos vitanda. Cap. V.

DOcet experientia, quanta ex suspectarum Mulierum conuersatione sequantur incommoda, hinc enim detractiones nascuntur, & Clericorum famę, non modicum infertur præiudicium. Quapropter Clericis omnibus inhibemus, ne cum mulieribus non integræ famæ, neque cum ijs, de quarum honestate dubitatur, seu aliqua habetur suspicio, versentur, aut cohabitent, neue vllas mulieres, aut ancillas, nisi longeuæ sint, aut prouectæ ætatis de nostra, seu Vic. Gener. licentia in scriptis obtinenda, quouis sub prætextu domi retineant; nullas quoque mulieres absque nostra licentia legere, scribere, aut canere, alioq. cuiusuis generis instruméto sonare doceát.

De Sæcularibus negotijs, ac illicita negotiatione. Cap. VI.

SAnè cum in sortem Domini vocati sint, sæcularibus curis, seu negotijs sese immiscere non debẽt; nullus igitur Clericus aduocationis, aut procurationis nomine corã Iudice sæculari causam agat, nisi suam, vel Ecclesiæ, propinquorũue, si necesse erit, & miserabiliũ personarum causas, licentia primũ à Nobis in scriptis obtenta, tueatur.

In

In caufis item coram eodem Iudice fæculari pendentibus, teftimonium non ferat, nifi licentiam noftram prius impetrauerit, & iuramentum in actis Cancellariæ noftræ præftiterit.

Nullius tutelam, curamuè gerat, nifi pietatis caufa; quo etiam cafu Vicarij Generalis affenfum obtineat.

Publicis Vniuerfitatum comitijs, feu conuentibus nõ interfit, neque earundem Vniuerfitatum negotia pertractanda fufcipiat.

Aliena prædia, vel alios quofcumque redditus, feu fructus, neque etiam indirectè conducat.

Mercatus, & illicitas negotiationes nunquã exerceat.

De Sacramentis per Clericos frequentandis. Cap. VII.

IN reliquis verò virtutum actionibus ita fe gerant, vt eorum exemplis ad fpiritualia, & pia opera Cæteros impellant. Quapropter Clericos oẽs in Dño hortamur, vt qui in minoribus Ordinibus funt conftituti, fingulis faltem menfib. Diaconi, & Subdiaconi fingulis 15. diebus peccata fua alicui Sacerdoti, ad audiendas Confeffiones approbato, confiteantur, & Sanctifsimum Euchariftiæ Sacramentum fumant.

Sacerdotes falrem Dominicis, & alijs Feftiuis diebus, nifi legitimè impediti fuerint, Miffam celebrare non omittant.

Quinta verò Feria in Cœna Dñi omnes cõueniant ad folemne Miffæ facrificium in propria Ecclefia celebrandum, & facram Communionem fumant.

Qui

Qui seruitio alicuius Ecclesiæ adscripti sunt, Eidem inseruiant singulis diebus festis, ac Missæ solemni, sacrisq. Concionibus, ac Vespertinis horis intersint.

Caueant autem à libris, qui res, vel inanes, vel iocosas, aut impudicas, & id generis continent, ex quorum lectione, plerumq. fit, vt Timor, Charitasq. Dei languescat, ac morum disciplina destruatur.

Cætera item omnia, quæ ex Decretis Visitationum, & præsentis Synodi, alijsq. Sanctionibus præstare debent, accuratè exequantur.

De Processionibus. Cap. VIII.

AD Processiones publicas ordinarias, & extraordinarias à Summo Pontifice, siue à Nobis indictas; Clerici oēs, siue in Minoribus, siue in Sacris Ordinibus constituti, Officiū, aut Beneficiū Ecclesiasticū obtinētes, cū vestibus talaribus, superpelliceis, ac biretis accedant.

Omnes item Regulares, etiam Monachi, necnon Sodalitates Laycorum, quæ hactenus venire consueuerunt, cum peculiaribus earum vexillis, ac indumentis accedere, atque hora præscripta in Cathedrali, siue in Collegiata, aut Parochiali Ecclesia conuenire debeant.

Eas verò Processiones, quæ noctu fiunt, omninò interdicimus.

Lignea, seu Fictilia Sanctorum simulacra, Nobis inconsultis, non deferantur.

Viæ publicæ, per quas Processiones, præsertim solemnes diriguntur, profanis Imaginibus non ornentur.

CON-

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.

PARS QVARTA.

De Beneficijs Simplicibus, & Curatis. Cap. I.



Lerici, qui ex nostra Diœcesi non sunt, ad concursum non admittantur, nisi habeant literas testimoniales sui Episcopi, quoad vitam, & mores, & Ordines. Excludatur à concursu, & insuper grauiter puniatur, qui Alios descriptos, vel concurrere volentes verbis, aut factis deterrere ausus fuerit, ne se examini subijcerent. Concursus verò Ecclesiarum Parochialium non habeatur, nisi prius per Edictum publicum, in quo assignetur terminus saltem decem dierum, vocentur ij, qui volent examinari. Eo termino elapso, qui in termino fuerint descripti, examinentur coram Vicario Generali, & tribus saltem Examinatoribus; nec admittantur ad examen, qui in termino non comparuerint.

Si tamen in termino prædicto vnus dumtaxat descriptus fuerit, eo casu noua affigi Edicta, ac terminum aliorum decem dierum assignari mandamus.

Prouisi per literas Apostolicas de Beneficijs, tam simplicibus, quam Curatis, infra duos menses, à die adeptæ possessionis literas prædictas in Cancellaria nostra Episcopali exhibere, & illarum copiam authenticam, vnà cum copia adeptæ possessionis, & dictarum literarum publicationis relinquere debeant.

De

De Parochis. Cap. II.

OMnes quidem Parochi ex Diuino præcepto tenentur Oues ſuas agnoſcere, pro his Sacrificiũ offerre, Verbi diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium exemplo paſcere. Archipresbyteris igitur, & alijs animarũ Curatis præcipimus, vt Miſſę ſacrificium omnibus diebus Feſtis, ac ter in hebdomada celebrent, atque etiam ſæpiùs, prout loci conſuetudo, vel neceſsitas poſtulabit, illudq. ſaltem omnibus Dominicis diebus iuxtà formã Sac. Conc. Trid. Ouibus ſuis applicare teneantur. Ac inſuper eiuſdem Sac. Conc. Trid. Decretis inherẽtes ſtatuimus, ac ſancimus, vt omnes, & ſinguli Archipresbyteri, & Parochi, vel aliàs curam animarum habentes, ſaltem omnibus Dominicis, & ſolemnibus diebus Feſtis Plebes ſibi creditas pro ſua, & earum capacitate paſcãt ſalutaribus verbis, Euangelium, Diuinamq. Legem annuntient docendo articulos symboli, præcepta Decalogi, atque Eccleſiæ Sacramenta, eaq. omnia, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, nè illud impleatur, *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*.

Id autem per ſeipſos facere omninò teneantur, vel ſi legitimè impediti fuerint, per alios idoneos à Nobis, ſeu Vicario Generali approbandos: qui autem muneri ſuo ſatisfacere contempſerint, pęna duorum aureorum pro qualibet vice multentur.

Sacramenta ſimiliter per ſeipſos, & ſi legitimè fuerint

impediti, per Cappellanum à Nobis approbatum diligenter administrent.

Moribundis frequenter visitent, eosq. ad patientiam, & reliquas virtutes hortentur, ac per frequentes peccatorum Confessiones, ac reliqua Sacramenta Deo reconcilient, & commendent.

Libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, & Mortuorum diligenter custodiant.

Dominicis saltem diebus pueros Fidei Rudimenta, & obedientiam in Deum, & Parentes in Ecclesia Parochiali per seipsos doceant, aliàs pęna duorum Aureorum pro qualibet vice mulctentur.

Neminem exorcizent per se, vel per alium Sacerdotem Secularem, vel Regularem sine nostra licentia.

Indulgentias quascumque, nisi à Nobis approbatæ fuerint, & recognitæ, ne publicent.

Quæstores eleemosynarum, qui à Nobis facultatem non impetrauerint, non admittant.

De Celebratione Missarum. Cap. III.

IN Sacristia perpetuò adsit Tabella, in qua descripta sint omnia, Missarum, Anniuersariorum, ac reliquarum functionum onera, quæ ex pijs Legatis, aut veteri consuetudine ad tempus, vel perpetuò sunt adimplenda:

Adsit etiam Liber, in quo omnes, & singuli Sacerdotes, postquam celebrauerint, propria manu scribant, se celebrasse.

Mis-

Missa semper applicetur pro anima Testatoris, vel Fundatoris, licet in Legato, seu fundatione id specialiter cautum non fuerit.

In Ecclesijs, in quibus plures Missæ celebrantur diebus ferialibus, vna saltem Missa summo mane pro Populi commoditate qualibet die celebretur.

Nemo cum Annulo, etiam si in dignitate constitutus, aut doctoratus laurea insignitus, Missam celebret;

Nec ante Auroram, nec post Meridiem Missæ celebrentur, nisi functionis ordo aliquando longius tempus expostulet.

Qui Missas non celebrauerint, ad quas celebrandas ex aliquo onere tenentur, diebus Ferialibus, in Iulijs duobus, diebus verò Festiuis, in Iulijs tribus, vsibus Sacristiæ applicandis, mulctentur, & nihilominus easdem Missas pro anima Fundatoris, seu Benefactoris applicare, & celebrare teneantur.

Onera Missarum perpetua à Capitulis, siue quarumcumque Ecclesiarum Rectoribus, Custodibus, siue Piorum Locorum Administratoribus absque nostra licentia non suscipiantur, qua obtenta, pecuniæ, siue bona mobilia eisdem Ecclesijs cum onere prædicto Legata iuxtà voluntatem Testatoris quamprimum cum effectu inuestiantur, & in Instrumento fiat huiusmodi oneris indiuidua, ac specifica mentio, alias ij, ad quos hæc cura spectabit, ab ingressu Ecclesiæ sint interdicti, alijsque pęnis arbitrio nostro punientur.

Atque vt ea omnia extirpentur, quæ, vel auaritia,

vel irreuerentia, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit, in Missis nouis celebrandis abusus omnes, sumptuosa Conuiuia, Ludos, choreas, Tubarum sonitus, illiberales Eleemosynarum exactiones, aliaq. huiusmodi, quæ à Symoniaca labe, vel certè à turpi quęstu non longè distant, prohibemus.

Clerici insuper tam Sæculares, quam Regulares in suis Ecclesijs Sacerdotes exteros, ac ignotos, seu vagos ad celebrandum non admittant, nisi licentiam Vicarij Generalis exhibuerint, eosq. qui publicè, ac notoriè criminosi sunt, à sanctis Altaribus arceant, & repellant.

Missas item à Sacra Congregatione Rituum non approbatas, videlicet S. Gregorij pro Viuis, & Defunctis, Quindecim Auxiliatorum, & de Patre Æterno in eisdem Ecclesijs celebrare non permittant.

De Confraternitatibus, & Locis Pijs. *Cap. IV.*

SOcietates, seu Confraternitates etiam in Ecclesijs Regularium non erigantur, nisi aut Summi Pontificis, aut nostra præcedat auctoritas.

Plures Confraternitates, seu Sodalitates in vno, eodemque loco sub eodem titulo, & instituto, sicuti confusionem, aliaq. multa afferunt incommoda, ita erigi prohibemus.

Non vtantur regulis, quæ à Nobis approbatæ non fuerint, & subscriptæ.

Prio-

Priores, & alij Officiales Confraternitatum non eligantur, nisi præsente Vicario Generali in Ciuitate, & in Diœcesi Archipresbytero loci, qui vota recipiat per secreta suffragia, alias electio sit ipso iure nulla.

Nemo eodem tempore in Officialem plurium Societatum eligatur.

Nulli autem liceat recusare officium ad quod electus fuit, sub pęna Scutorum decem vsibus Confraternitatum applicañ, nisi Nos, vel Vicarius Generalis excusationis causam, vti legitimam approbauerimus.

Debitores Confraternitatis ad eius officia inhabiles sint, donec satisfecerint.

Qui bona alicuius Sodalitatis, vel Loci Pij administrauerint, & rationem suæ administrationis coram Vicario Generali iuxtà formam Sac. Conc. Trid. non reddiderint, ad eiusdem, & aliarum quarumcũque Confraternitatum officia nunquam admittantur.

Statim autem ac electi sunt, coram Vicario Generali, & in Diœcesi coram Vicario Foraneo, vel Parocho loci Iuramentum præstent, se rectè, & fideliter munus suum administraturos.

Nihil sine nostra licentia de Confraternitatum, seu Piorum Locorum redditibus pro mercede, seu alimentis Prædicatorum expendant.

Exigant ipsi omnia credita, & emolumenta quomodocumque ad Loca pia, & Cõfraternitates prædictas spectantia, quod si negligenter in officio suo se gesserint, & debitas diligentias in exigendis creditis Societatis non

adhibuerint, de proprio teneantur.

In Ecclesijs, seu Oratorijs Confraternit. absque nostra licentia Nemini sepultura concedatur, nec pro humãdis defunctis, Ecclesiæ, seu Oratorij pauimentum deuastetur.

Officiales sine licentia Vicarij Generalis extraordinarias expensas non faciant, nec mutuò dent pecunias, aut alia Sodalitatis bona mobilia; immobilia verò non nisi ad triennium locent.

Expleto Officio rationem administrationis Vicario Generali reddere teneantur; redditio autem rationis coram alijs facta, quicũque illi sint, nulla sit eo ipso, atque Officialibus prædictis nullo vnquã tempore suffragetur.

Quod si aliquando, vel per loci distantiam, vel propter alia impedimenta Officiales Confraternitatum prædictarum coràm Vicario Generali sese præsentare minimè possunt, liceat eisdem Officialibus coram Parocho loci rationem suæ administrationis reddere, impetrata priùs facultate à Nobis, seu ab eodem Vicario Gener.

Libros item administrationis, ac instrumenta quæcunque, seu Scripturas ad Societatem spectañ, Successoribus in Officio statim consignent.

Scripturæ huiusmodi, sicut & cætera bona mobilia, seu pecuniæ Successoribus consignentur per Inuentariũ, vel per Notarium publicum, vel saltem per Parochum loci, & eosdem Successores in Officio subscribeñ: Inuentarium verò in libris Confraternitatum perpetuò registretur.

Priores, seu Officiales annales sint, nec pro alio annò con-

confirmentur, nisi vel licentia Vicarij Generalis impetretur, vel ad id omnia Confratrum vota, nemine discrepante, concurrant.

Capsulæ pro eleemosynis non exponantur in posterum sine nostra licentia; vbi autem iam exponi consueuerunt, duabus diuersis clauibus sint munitæ, quarum altera retineatur per Parochum, altera per Priorem Societatis pro tempore.

Pecuniæ verò ex Capsulis prædictis non nisi vtroque præsente, videlicet Parocho, & Priore extrahantur, & extractæ statim in libro annotentur.

Cætera etiam omnia, quæ infra in Tit. de Bonorum, & Iurium Ecclesiasticorum conseruatione decernimus, accuratè, & diligenter exequantur.

De Ludimagistris. *Cap. V.*

ADolescentium ætatem, nisi à teneris annis ad studia, & pietatem informetur, ad vitia quæque sequenda pronam esse, vsu ipso, & experientia comprobatur: ideò Locorum Dominos temporales, ac Magistratus vehementer in Domino hortamur, vt nulla sumptus habita ratione Ludimagistros moribus, ac doctrina laudabiles conuenienti mercede conducant, ac in suis locis perpetuò retineant, vt pueri (præsertim pauperes) Grammaticam, cæterasq. virtutes ediscere possint.

Hi autem Ludimagistri, antequam docere incipiant, licentiam nostram in scriptis obtinere, Fideiq. Professionem emittere debeant.

Omni ſtudio doceant adoleſcentes, & pueros ea præcipuè, quæ ad Religionem, & Chriſtianos mores ſunt neceſſaria.

Diligenter etiam curent, vt pueri interſint diebus feſtis Sacrificio Miſſæ, verbi Dei prædicationi, ac Doctrinæ Chriſtianæ.

Ipſi quoque vnà cum Parochis pueros Fidei rudiméta Dominicis diebus hora præſcripta docere non omittant.

Libros nouiſſimo ab Indice vetitos, aut alios, quorum lectione Chriſtianæ Fidei, aut puritatis cádor labefactari poſſit, Adoleſcentibus non interpretentur, neque ab illis legi ſinant.

Quæ vt omni diligentia ſeruentur, Parochi quoad Magiſtrorum huiuſmodi vitã, & mores, ac docédi rationé diligenter inuigilent, ſæpius eorũ ſcholas viſitando.

Qui auté à recta docendi via declinauerint, ſeu mádatis noſtris parere neglexerint, ab eorum officio, ſeu munere, ſuſpendantur, atque alijs pęnis arbitrio noſtro mulctétur.

De Bonorum, & Iurium conſeruatione. *Cap. VI.*

VT bona Eccleſiaſtica conſeruentur, nec vnquam de Eccleſiæ dominio dubitari contingat, omnibus tam Eccleſiæ Cathedralis, quam reliquarum Collegiatarum Archipresbyteris, & Canonicis, necnon Beneficiorum tam Parochialium, quam ſimplicium Rectoribus, ac Societatum, ſeu Confraternitatum, ac quorumcũque Piorum Locorum, & Hoſpitalium Officialibus, ſeu Adminiſtratoribus mandamus, vt intra ſex Meſes à die promul-

mulgationis harum Synodalium Constitutionum, omnium, & singulorum bonorum stabilium, Iurium, & actionum, annuorum Canonum, censuum, redditum, nominum Debitorum, aliorumq. bonorum ad Ecclesias, seu beneficia, ac Loca Pia prædicta quomodocumq. spectantium inuentaria solemniter citatis interesse habentibus, ac seruatis de iure seruandis conficiant, vbi bonorũ immobilium fines etiam describantur, ac reliquorum bonorum qualitates, nomina item, atque onera eorum, qui ea possident, explicentur.

Horum autem duo authentica documenta, seu transumpta fiant, quorum Alterum in Archiuio Episcopali perpetuò conseruetur, alterum ab Ecclesiarum prædictarum Camerario, seu Rectoribus, ac locorum Piorum Officialibus pro tempore retineatur.

Omnium item rerum, & bonorum Ecclesiarum immobilium, ac prætiosorum mobilium alienationem, omneq. pactum, per quod ipsorum dominium, vel vtile, vel directum transfertur, ac eorundem bonorum hypothecam, & concessionem etiam in Emphiteusim fieri prohibemus; nec possessionem sub quouis prætextu euidentis vtilitatis transferre præsumant, nisi Summi Pontificis, aut nostrum in casibus à iure permissis beneplacitum priùs fuerit expeditum.

Bona immobilia prædicta consanguineis, aut attinentibus vsque ad quartum gradum non locentur sine nostra licentia.

Ecclesiastici item bona Ecclesiæ, quæ cum alijs communi-


muniter possident, neque per se, nec per alios, Nobis inconsultis, conducant.

Officialibus similiter bona Confraternitatum, aliorumque Piorum Locorum, durante eorum officio, ne locentur.

CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.

PARS QVINTA.

De Officio Archipresbyteri. Cap. I.



Rchipresbyteri, & his absentibus Canonici, qui primum inter præsentes in Choro locum obtinebunt, omni diligentia, & vigilantia curent, vt Hebdomadarius, vel alius quiuis Canonicus, aut Chori Minister suo in omnibus fungatur officio.

Curent insuper, ne quid prætermittatur in Choro, in Ecclesia, vel Sacristia, quod ad Diuinorum Officiorum rationem, Ritumuè pertineat, quodque communibus, vel proprijs Constitutionibus in Diuinis Officijs obeundis præscribatur.

Archipresbyteri prædicti ad Camerariatus, aliaque Capitularia officia non eligantur, sintq. à prædictis officijs alieni; cum Ouium suarum custodiæ toto studio incumbere debeant.

Hac etiam de causa ad eadem Capitularia negotia quæcumque extra residentiam pertractanda nec deputentur, nec ipsi huiusmodi onera suscipiant absque nostra

ſtra ſpeciali licentia in ſcriptis obtinẽda, ne vllo vnquam tempore curam animarum detrimentum aliquod pati contingat.

Ea item omnia, quæ ſupra in Tit. de Parochis ſancita ſunt, exequantur.

De Officio Camerarij. Cap. II.

CAmerarius Capituli, ac alij omnes Officiales Capitulares, quocumque nomine nuncupentur, eligãtur vltima ordinaria, & Capitulari die Sabbati Menſis Decembris poſt Veſperas per ſecreta ſuffragia, ſiue à Capitulo Cathedralis, ſiue Collegiatæ, ſiue ab alijs Presbyteris, & Clericis fieri debeat electio, alias electio huiuſmodi nullius ſit roboris, & momenti.

Nemini autem liceat recuſare officium, ad quod electus fuit, niſi ex aliqua legitima cauſa per Nos, ſeu Vicarium approbanda, alias pęnam Scut. decem in vſus Sacriſtiæ applicandam, incurrat.

In principio ſui officij in actis noſtræ Cancellariæ Epiſcopalis, ſiue in Libro Decretorum Capitularium teneatur ſe in forma Cameræ obligare, ac etiam iurare, ſe diligenter, & fideliter adminiſtraturum; qui verò id adimplere recuſauerit, mulctis pecuniarijs, alijſque iuris, & facti remedijs opportunis compellatur.

Camerarius exigat omnes introitus, redditus, & prouentus ad Menſam Capitularem quomodocumque ſpectañ, ac etiam emolumenta ſepulturæ, vbi hæc emolumenta ad Capitulum pertinent.

toribus non exigerit, & non vsus fuerit debitis diligentijs, vt satisfacerent, sub eadem pęna suspensionis à Diuinis ipso facto incurren̄ de proprio teneatur Capitulo soluere, quod erat exigendum; nomina tamen Debitorum eidem Camerario eo casu assignentur.

Si verò idem Camerarius debitas adhibuerit diligentias, ac exigere non potuerit, debitorum nomina consignet Capitulo distribuenda proportionabiliter inter omnes, vt suam quisque portionem exigere liberè possit.

Huiusmodi autem computa solidentur, seu approbentur ab Archipresbytero, qui etiam mandata subscribat.

De Officio Punctationis. *Cap. III.*

PVnctatores duo quolibet Anno à Capitulo eligantur, ex quibus vnus per Vicarium Gener. eligatur, qui munus sibi iniunctum, sub pęna Scutorum decem, suscipere, ac exercere debeat.

Antequam autem illud ineat, coram Vicario Generali, & in Diœcesi coram Capitulo iuret, ac spondeat, se fideliter, ac sincerè suum officium executurum.

Omnium Canonicorum, ac etiam Chori Præfecti errata, & absentiam notet, nec aliquem pro præsente habeat, nisi quem Vicarius Generalis, causa absentiæ cognita, pro præsenti haberi decreuerit.

Singulis saltem Mensibus Punctator, & Chori Præfectus puncta, seu signaturas secum recognoscant, & punctationes supputent, & si qua in re discreparint, Vicarium Generalē adeant, qui omnem controuersiam absque vlla

for-

forma Iudicij,quacũque appellatione poſtpoſita,dirimat.

Singulis etiam Menſibus, & quoties Punctator Prædictus fuerit requiſitus à Capitulo,& Canonicis, libros punctationum exibere teneatur.

Cætera item omnia, quæ ex Viſitationum, & huius Synodi Decretis, alijſque Sanctionibus, ſiue ex cuiuſque Eccleſiæ præſcripto, aut conſuetudine præſtare debet, fideliter,ac ſincerè exequatur,aliàs præter periurij reatum, noſtro, vel Vicarij Gener. arbitratu grauiter punietur.

De Chori Diſciplina. Cap. IV.

OMnibus, & ſingulis Archipresbyteris,& Canonicis, alijſq. ad officium in Choro recitandum adſtrictis præcipimus, & mandamus, vt in Choro præcipuè, vbi Diuinæ Laudes recitantur, vanis colloquijs, riſui, iocis, aut alijs huiuſmodi nũquam vacent, neque cum Alijs loquantur, niſi id fiat aut cauſa ſui officij obeundi, aut neceſſarij reſponſi Alicui etiam extra Chorum reddendi.

Literas, vel ſcripta quæcumque ad vſum Chori non pertinentia, non legant.

Locum ſimiliter non mutent, nec ab eo, ſiue ab Ordine ſuo quouis prætextu diſcedant, niſi ex cauſa ad Chorum pertinente.

Canonici omnes canant in Graduali,& Antiphonario ea omnia, quæ ſine libro explere non poſſunt, cæteraq. tam ad Miſſam, quam ad Officium ſpectantia, quæ memoriter pronunciari ſolent, in ea Chori parte, in qua ſedent, canere ſimiliter non prætermitant.

Heb-

Hebdomadarij cantent Orationes, Euangelium, aliaq. ad Missam, siue Horas pertinentia, iuxtà Missalis, & Ecclesiæ Ritum, & Ordinem consuetum, & ita jn canendo se gerant, vt in nullo aut dissonent, aut aberrent.

Incepto Officio, aut Missa, nemo à Choro discedat, nisi vrgente, & necessariâ causa, & tunc statim ad Chorum redire debeat.

Qui autem in aliquo ex supradictis defecerit, illius Horæ, seu sacræ Functionis distributione, aut eleemosyna mulctetur, ac si præsens non esset.

Officiũ non cursim, sed ea, qua decet, distinctione recitetur, ac interponatur pausa in medio, & in fine Versic. ita vt nõ resumatur ab alia parte sequens Versiculus, nisi priùs terminatæ fuerint omnes voces Versic. antecedẽtis.

Qui secus recitauerint, distributiones, quas propter Officium recitandum percipiunt, eò ipso amittant, nec eas possint tuta conscientia percipere, aut retinere, cæteris pęnis tam à Iure, quam in Prædecessorum nostrorum Constitutionibus inflictis in suo robore permanentibus; quiq. huic tam notabili defectui causam dabunt, toties quoties in quauis hora, aut Officij parte errauerint, æqque mora punctentur, ac si essent absentes.

De Missis Solemnibus, atque alijs Functionibus in Ecclesia Cathedrali, & Collegiatis celebrandis. Cap. V.

ARchipresbyter diebus solemnibus, videlicet in nocte, & die Natiuitatis D. N. Iesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominica Palmarum, Feria quinta,

sexta,

ſexta, & Sabbato Hebdomadæ ſanctæ, die ſanctiſſimo Paſchatis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corpus Chriſti, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, ac die Feſto S. Pancratij Miſſam ſolemniter celebret.

Reliquas etiam functiònes Epiſcopales faciat, videlicet Benedictonem Candelarum, Palmarum, Cinerum, Fontium, Abſolutionem Mortuorum, & Delationem Sanctiſſimi Sacramenti.

Miſſam item cantare teneatur, quando memoratas functiones exercet.

Huiuſmodi autem Miſſas omnibus diebus Feſtis ſolemnibus prædictis in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata ſolemniter celebrare nunquam omittat.

Quod ſi Archipresbyter abſens fuerit, vel in cura animarum, ac Sacramentis adminiſtrandis detineatur, tunc Dignitas poſt ipſum Archipresbyterum immediatè ſequens, vel Primus Canonicus, & ſucceſſiuè per ordinem, functiones eo modo, quo ſupra facere, ac Miſſas canere debeat.

Quando verò Miſſæ in dictis diebus, ac Functiones prædictæ celebrantur, duo vltimi Canonici, vnus, qui Diaconale, alter, qui Subdiaconale miniſterium præſtet, Dignitati, ſeu Canonico celebranti ſemper inſeruiant.

Liceat inſuper Dignitatibus, & Canonicis quibuſcũq. in eorum hebdomada, omnibus diebus Feſtis de præcepto Veſperas cum Pluuiali, ac Miſſas ſolemnes cum Diacono, & Subdiacono cantare, quo caſu Archipresbyter,

ter, & reliquæ Dignitates, seu Canonici primum, & digniorem locum eis cedere teneantur.

Qui verò parati, seu cum Pluuiali Vesperas cantauerint, ad Chorum redire pro recitando Completorio non teneantur, nec ob eá causam aliquo modo punctentur.

Missas autem priuatas in Ecclesia Cathedrali Dignitates, & Canonici omnes celebrent singulis diebus Festis, hoc ordine seruato, prima Missa diluculò, reliquę deinceps debito interuallo distribuantur, vltima circa Meridiem celebretur, ita tamen, vt ante Meridiem perficiatur.

Diebus ferialibus Missa in Aurora, & circa Meridiem celebretur, vt supra.

Missæ autem huiusmodi seruato ordine per Turnum distribuantur.

Curet verò Canonicus Hebdomadarius, cui incumbit Missá canere, ne in sua hebdomada Missá cantare prætermittat, aut ab alio saltem curet in sui defectũ decantandá; quod si defecerit, & legitimo impedimento detẽtus non fuerit, illius diei distributionibus careat, ac triũ etiam Iuliorũ in diebus ferialibus, & in festiuis quatuor similiter Iuliorum pęna mulctetur, quam Canonico, qui post eum sequitur, vel cuicũque alteri ex Canonicis Missá pro hebdomadario, vt supra cãtanti, irremissibiliter applicamus.

Si verò Hebdomadarius legitimè impeditus fuerit, teneatur eo casu sub eadem pęna Missam cantare Canonicus, qui post eum sequitur, & eo etiá legitimè impedito, Canonicus, qui circa meridiem celebrare debebit.

In reliquis etiam Collegiatis, & Parochialibus Ecclesijs

D Missæ

Missę ex cuiusq. Ecclesię præscripto perpetuò celebrétur.

De Capitulo Congregando. Cap. VI.

CApitulum pro Capitularibus negotijs, & præcipuè pro consensu in alienationibus in casibus de Iure permissis præstádo, ac Laudemijs percipiendis, per diem ante intimetur, & non nisi die Sabbati in loco solito post Vesperas congregetur, & eo casu emolumenta prædicta inter præsentes tantùm in Capitulo diuidantur.

Pro alijs diebus non intimetur in posterum, nisi aliquod superueniens negotium, aut alia vrgens necessitas, vel rationabilis causa moram, & dilationem huiusmodi non patiatur.

Aliter Capitulum congregatum pro nullo habeatur.

Si verò Capitulum pro alijs diebus, quam Sabbati ex aliqua rationabili causa, vt supra intimari, & congregari contigerit, eo casu volumus, & mandamus, vt inter omnes Canonicos, etiam absentes emolumenta prædicta, ac alia quæcumque æqualiter diuidantur.

De Archiuio. Cap. VII.

ECclesiæ omnes tam Cathedralis, quam reliquę Collegiatæ Archiuium, & Sigillum proprium, ac librum, in quo resolutiones capitulares annotentur, habeant.

In Archiuio sint duę Claues, diuerso opere elaboratæ, quarum alteram retineat Vicarius Generalis, alteram Archiuista à Capitulo singulis annis deputandus, & in

Dicæ-

Diœcesi vna ab Archipresbytero, & altera ab Archiuista, vt supra eligendo retineatur. In hoc autē Archiuio reponi debeant omnia instrumenta,& scripturæ,quomodocumque ad Cap. spectañ de quibus inuentarium fiat.

Archiuista per secreta suffragia à Capitulo eligatur, eiusq. Officiū per annum duret, ac de scripturis sibi per Inuentarium consignandis rationem reddere debeat.

De Residentia. Cap. VIII.

VT Ecclesiæ ob absentiam Ministrorū nullo vnquā tempore debitis defraudentur obsequijs, Archipresbyteris,& alijs animarum Curatis quibuscumq. præcipimus sub pœna Scut. quinque, ac alijs arbitrarijs, ne Oues suas Mercenariorum more deserentes ab eorum Ecclesijs, seu Parochijs, quouis sub prætextu abesse præsumant,sine nostra,aut Vicarij Gener. licentia in scriptis obtineñ nec eis licentia prædicta suffragetur,nisi ipsi pro cura animarum idoneum Substitutum per Vicarium Generalem approbandum reliquerint.

Dignitatibus item,& Canonicis omnibus, tam Ecclesiæ Cathedralis, quam reliquarū Collegiatarum, alijsq. quibuscumque ad personalem residentiam adstrictis, ab Ecclesijs, vbi iniuncto sibi officio defungi debent, sine licentia Vicarij Generalis, vt supra quomodolibet abesse non liceat, aliàs pęnam Scutorum Trium incurrant.

Diebus Aduentus, & Quadragesimæ, atque alijs solēnibus diebus festis, oēs in eorum Ecclesijs resideant, nec eis licentia, nisi ex vrgenti aliqua causa concedatur.

Impetrata licentia, qui ad Vrbem accesserint coram Nobis sub eadem pęna se præsentare, obtentamq. licentiam exhibere teneantur.

Licentię huiusmodi alijs Canonicis Cathedralis Ecclesiæ non concedantur, si tribus de Capitulo concessa iam fuerit, nec alijs Canonicis Ecclesiarũ Collegiatarũ concedantur, si vnus illorum, siue sit Archipresbyter, siue alius Canonicus huiusmodi licentiã prius impetrauerit.

Archipresbyteri, ac reliqui animarum Curati, necnon Dignitates, & Canonici quicumq. in domibus suarum Ecclesiarum, siue in Ædibus Canonicalibus ad hunc effectum destinatis resideant, atque inhabitent, nisi aliter per Nos ex aliqua indulgeatur causa.

Ædes Ecclesiæ sine nostra licentia nemini locẽtur, aut commodentur: si verò reparatione indigeãt, expẽsis illius, qui in eis residere debet, quamprimum reparentur.

De Pœnis. Cap. IX.

QVI verò in aliquo deliquerit ex his, vbi nulla apposita fuerit pęna, Aureorum viginti quinque, Carceris, priuationis Beneficiorum, maioribusq. ac minoribus pro delicti, & personarum qualitate, ac statu arbitrio nostro pęnis, ac etiam si opus fuerit, Ecclesiasticis censuris puniatur.

Præterea declaramus in singulis Capitibus præsentis Synodi; in quibus nostram licentiam obtinendam esse decernimus, nõ censeri exclusum Vicarium Generalem, nisi vbi expresse in eisdem Capitibus excluditur.

Om-

Omnia denique hæc noſtra Decreta auctoritati, & iudicio Sanctæ Sedis Apoſtol. ea, qua debemus humilitate, & obedientia emendanda, & corrigenda ſubijcimus.

Io. Carolus Antonellus Vic. General. ad hanc Synodum celebrandam ſpecialiter Deputatus.

G. Vitalis Canon. & Cancell. Epiſcopal.

Eadem Die 18. Aprilis 1641.

HAEC omnia Decreta, ſeu Conſtitutiones fuerunt per me Notarium, & Cancellarium Curiæ Epiſcopalis infraſcriptum de mandato Reuerendiſsimi D. Vic. General. alta, & intelligibili voce lecta, & recitata in plena Synodo coram eodem Reuerendiſsimo D. in Venerab. Eccleſia Cathedr. ibidem præſentibus, & audientibus omnibus Archipresbyteris, & Canonicis tam Eccleſiæ Cathedr. quam reliquarum Collegiatarum, & Parochialium totius Diœceſis, exceptis Archipresbytero Terræ Neptuni, Archipresbytero Terræ Practicæ, & Curato Ardeæ abſentibus, qui per me, &c. de mandato eiuſdem Reuerendiſs. D. Vic. Gener. de eorum conſilio requiſiti, & interrogati, an eis dictæ Conſtitutiones, ſeu Decreta ſic vt ſupra per me lecta, & recitata placerent, omnes (vno excepto) vnanimiter, & viua voce reſponderunt, *placent*, cæteraq. omnia fuerunt adimpleta, quæ à Pontificali Romano, ſacroſancto Concilio Trid. ac ſacris Canonibus præſcribuntur; prout latius in peculiari libro huius Synodi. In quorũ fidem, &c. hic me ſubſcripſi, ac ſolito meo ſigno publicaui.

Loc. ✠ Sig.

Ita eſt Ego Gabriel Vitalis Canonicus Cathedralis Albaneñ. Not. publicus, & Cancell. Epiſcopalis.

Te-

Tenor verò literarum Eminentissimi, & Reuerendiss. Domini
CARDINALIS BORGIÆ
Episcopi Albaneñ talis est, vt sequitur, videlicet.

Extra. *A Iuan Carlo Antonelli mi Vicario General en me Obispado de Albano. Roma.*

Ab alia parte adest impressum Sigillum præfati Eminentissimi D. Intus verò sequitur, prout infra, videlicet.

He entendido, que han pasado algunos annos sin hauerse hebco el Synodo enesa Dioceses de Albano, yentendiendo Yo quanto importa que se haga para mayor seruitio de Dios, y meyor gouierno delos subditos, y que se conserue la disciplina Ecclesiastica enla forma que combiene conto da pureca, me hà parecido ordenar à V.S. que luego haga el Synodo, que para ello en virtù de stà carta le concedo toda la autoridad necessaria para todas las sesiones y actos, que combiniere obrar tan cumplida como si Yo estuuiese presente; de lo que resultare me auisarà V.S. para que Yo estè informado. Dios guarde à V.S. largos annos.

En Madrid à 8. de Febrero de 1641.

IL CARD. DE BORZAY V.[co]

In pede dictarum literarum sequitur.
Senor Iuan Carlo Antonelli Vicario General.

Ita est Ego Gabriel Vitalis Notarius publicus, & Cancellarius Episcopalis, qui supra, &c.

IO. CAROLVS ANTONELLVS NOB. Veliternus, V.I. nec non Philoſophiæ, & Sac. Theol. Doctor, Prothonotarius Apoſtolic. Eminentiſsimi, & Reuerendiſſimi D. CARDINALIS BORGIÆ, Epiſcopi Albaneñ Vicarius Generalis.

VNiuerſis, & ſingulis præſentes noſtras literas viſuris, lecturis, pariter & audituris fidem facimus, & atteſtamur, retroſcriptum Gabrielem Vitalem eſſe talem, qualem ſe facit, eiuſq. ſcripturis fidem ſemper adhibitam, atque in dies adhiberi in Iudicio, & extra. In quorum fidem has præſentes fieri iuſſimus, ac Sigilli, quo in talibus vtimur, impreſſione muniri. Dat. Albani ex Ædibus noſtræ reſidentiæ hac die 4. Aprilis 1642.

Io. Car. Antonellus Vic. Generalis.



Ambroſius Fabrius de mandato, &c.


INDEX CAPITVM,

Quæ in hac Diœcesana Synodo continentur.

CONSTIT. SYNOD.
Partis primæ.

ERRORES CORRIGENDI.

fol.	vers.	Legitur.	Lege.
3.	10.	sanctioris	sanctionis
14.	5.	debeat	debet
16.	14.	deudctis	deductis
21.	15.	fenestrella	fenestella
30.	12.	mercatus	mercaturas
34.	3.	moribundis	moribundos
45.	1.	exigerit	exegerit
eod.	12.	Punctationis	Punctatoris
47.	22.	aqsque	absque
48.	3.	corpus	corporis


BIBLIOTECA N[illegible] ROMA VITT[illegible] E[illegible]